



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

§. 35. Franciscus a Dietrichstein Cardinalis vita functus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

§. XXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.

*Franciscus a Dietrichstein Cardinalis
vita fundus.*

Hunc eadem fati necessitate sequebatur Franciscus, ex nobilissima Bohemorum familia de Dietrichstein ortus, qui ex paterna veluti hæreditate Religionis studium, & novitatis sectæ odium adeptus, in Moravia a verâ fide devios verbis castigabat ut Princeps, monebat ut Pater, coercebat ut Iudex; Juvenis adhuc ad pacandos Reges Legatus Roma Viennam cum summa potestate, decernebatur; inde vero a Clemente VIII. in Urbem revocatus, summo Pontifici a cubiculis, secretisque consiliis fuit, ob morum candorem, & affabilem gravitatem ab omnibus maximi habitus. Postea ab eodem Pontifice juxta S. Philippi Nerei raticinium Romanam Purpuram, necnon Olmutzensem Episcopatum adeptus, Anabaptistas tota Provincia exterminatos bonorum communione privavit, ceterosque hæreticos ab errore reducere, perduelles retundere, & Imperii Statum stabilire summo studio conatus est: inde vero gravissimas vexationes (pedissequa Apostolici Zeli stipendia) in caput suum sibi accersivit, a rebellibus

*Khevenhill.
Annal. Ferd.
tom. 12.
p. 497. &
1953. Cia-
con. in vita
Clem. VIII.*

*Marienberg
elog. hero.
Dietrich.*

Saec. XVII. libus Moravis Brunæ capitur, omni-
 A.C. 1636. busque bonis ac dignitatibus exutus,
 postea ab impio quodam agmine inter
 concionandum saxorum grandine impetitur, & a furiosis quibusdam Prote-
 stantibus jam eo destinatur, ut ex altissima turri præceps ageretur: nullum
 tamen vitæ periculum ab immoto Religionis tuendæ studio eum unquam
 deturbare poterat: quocirca non modo ad pacandas dissensiones inter Rudol-
 phum Cæsarem & Matthiam ejus fratrem selectus, sed insuper in gravissimis Imperii negotiis tempore seditionis in Cæsares & Catholicos motæ ad eundem Matthiam & Ferdinandum II. Imperatores Legatus decernebatur, vicissim quoque a Cæsare ad Clementem Papam pro sollicitandis contra Turcas supplicis Romam mittebatur: Præterea Stephanum Bulskaïum, qui in Moraviam irrumperere parabat, terga dare coegit, Bethlenium vero ad ineundam pacem compulit: Pariter Ferdinandum II. cum Maria Anna Bavarïæ Ducis Filia, Matthiam Cæsarem cum Anna Austriaca, & Ferdinandum III. cum Maria Hispana tanquam *Legatus a latere* solemni preceatione conjunxit, & Matthiam necnon Ferdinandum II. in Bohemiæ Reges inauguratus est, hujus vero Filium Ferdinandum III. &

& Mariam Annam Archiducissam aqua Sæc. XVII.
 vitali abluit. Inter tot terrenarum di- A. C. 1636.
 gnitatum fastigia Franciscus nunquam
 ampliandi cultus Divini curam depo-
 suerat; plurima quippe Tempa vel a
 fundamentis erexit, vel splendidiora
 reddidit, aut proventibus, donisque
 auxit, multaque domicilia PP. Capuc-
 cinis suo ære ædificavit. Demum ma-
 gis pietate, quam purpura & auro ful-
 gens, postquam hoc anno die decima
 octava Augusti, quæ Mariæ Reginæ
 natalis erat, Viennæ Sacrum solemne
 celebraverat, Olmutzium reversus, ibi-
 dem lethali corripiebatur morbo, inde
 tamen Brunam delatus, die decima
 nona Septembris supremum obiit diem,
 in Olmutzensi Ecclesia Cathedrali
 sepultus.

§. XXXVI.

Principum atque illustrium decessus,

Inter celebriores illius ævi Principes
 eodem anno obiere Joannes Alber- Khevenh. l. c.
 tus I. Dux Megapolitanus, & Raze- p. 2070.
 burgensis Episcopi Coadjutor necnon Jæger.
 Augustus senior Brunsvici & Lune- Hist. Eccl.
 burgi Dux, quorum prior exuto Lu- p. 567.
 thero Calvinum induit, a suis tamen Brachel.
 Proceribus eo compulsus, ut circa Lu- Hist. l. 5.
 theranæ sectæ usum nihil in suo Du- p. 262.
 catu
 Hist. Eccles. Tom. LX.